



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De consecratione, pollutione, & reconciliatione cœmeterij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

notabiliter fractus, ita ut ad usum, ad quos est consecratus, sit inutilis, & propter fracturam, aut nimis deformem sit, aut in nulla sui parte integra, calicem, cum patena, quoad majorem saltem partem, continere possit. 2. Exsecratur Altare fixum, ut novam consecrationem indigeat, si lapis, seu mensa superior, à basi, seu inferiori structura, cui est defixa, amoveatur, cum consecratio talis altaris consistat in consecratione superioris mensæ, & inferioris structuræ, cui saltem immediatè superior mensa adhæret; & hinc si superior mensa cum structura inferiore, cui immediatè innititur, tota de loco in locum moveatur, vel si lapides quidem illam immediatè attingentes, immoti maneant, inferius tamen lapides aliqui auferantur, vel addantur, ut altare fiat, vel humilius, aut altius, vel ad latera adjungantur lapides aliqui, ut latius altare fiat, non exsecratur illud, & nullam novam consecrationem indiget, cum à basi sua in tali casu non amoveatur. 3. putant aliqui exsecrari altare, & perdere suam consecrationem, sive fixum, sive mobile illud sit, si sepulchrum altaris, sive locus ille, in quo sacræ reliquiæ reponi solent, frangatur, vel spoliatur, quod tamen, quia ex jure non satis probatur, & probabile est de essentia altaris consecrati non esse reliquias, aut loculum talem, & si quid præceptum aliquando fuit de reliquijs altari consecrando inferendis, per contrariam consuetudinem, jam abrogatum videatur, cum nimia multitudo Altarium portatilium, vix præsumere liceat, reliquias approbatas semper inferi,

probabile etiam videtur per fractionem talem aut spoliationem loculi talis non amittere suam consecrationem Altare, servanda tamen est loci consuetudo. 4. Denique potest altare consecrationem suam retinere, quamvis Ecclesia, in qua altare tale fixum est, suam perdat, cum diversæ sint altarium, & Ecclesie consecrationes, & altare integrum permanere possit, etiam si tota Ecclesia destruat, vel per parietum abrasionem exsecratur, neque enim ex eo contra hoc aliquid probari potest, quod pollutam Ecclesiam, ut reconciliari debeat, etiam polluantur in ea fixa altaria, ergo pati modo exsecratam Ecclesiam etiam exsecrabuntur altaria fixa in ea, ut novam consecrationem indigeant: concessio enim antecedente negatur consequens, quia pollutio Ecclesie totum illud corpus afficit, ergo quicquid est de corpore hujus Ecclesie, uti sunt altaria, pollutum censeri debet, hoc autem non fit in exsecratione Ecclesie, quæ quoad hanc, sicuti peculiariter ab altaribus consecrationem habet, sic potest hac privari, quin illa tamen privetur.

§. V.

De consecratione, pollutione, & reconciliatione coemeterij.

COEmeterium aliud non est, quam locus auctoritate Episcopi ad corpora fidelium sepelienda deputatus, & præsumitur cum Ecclesia, cui conjunctum est, consecratum, vel benedictum, quamvis neutrum necessarium sit, cum sola Episcopi deputatio suffi-

Kkk k 2

ciat polluitur, & violatur regulariter iisdem modis, quibus Ecclesia polluitur, violatur & reconciliatur, ita tamen, ut polluta Ecclesia censeatur etiam pollutum coemeterium, si contiguum Ec-

clesiæ sit, non autem, si sit separatum, cum in illo casu habeatur, ut accessorium, consequenter polluto principali censeatur & ipsum pollutum *q. si Ecclesia unico h. t. in 6.*

T I T V L V S XLII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET SACRAMENTO EUCHARISTIÆ ET DIVINIS OFFICIIS.

QUæ in hoc titulo pluribus capitulis deciduntur, rectius ex rubricis Missalis, & Breviarij, ac Theologij peti possunt.

T I T V L V S XLIII.

DE BAPTISMO ET EJUS EFFECTU.

Videatur de materia hujus tituli Theologia moralis.

T I T V L V S XLIV.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

Non baptizatus baptismum fluminis salvari potest, per baptismum sanguinis, aut fluminis, ordinari tamen validè non potest, juxta hujus tituli decisiones; & hinc, si ordinatus aliquis fait, & postea innotescat baptismum

eum non fuisse, baptismum fluminis, baptizari hoc baptismum debet, & deinde ordinari, quia prior ordinatio, non baptizato, bonâ quidem fide collata, invalida tamen fuit, ut habetur *in c. 1. q. 3, h. t.*

TITVLII